



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

De Communi Martyrum. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40233

Diximus etiam *Sect. 5. cap. 7. num. 4.*
pag. 74. Autiphonas significare charitatem, quæ refusit in Apostolis super alios, ut meritò abundare debeat Antiphonis eorum Officium, & nouis. *Charitas Christi urget nos*, aiebat Paulus aliorum nomine. In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ idem fieri non nego; imò & inde fieri puto, quia missus à Deo, id est Apostolus, ipse quoque fuit Christo carne propinquior & mente. In Festo quoque plurimorum Martyrum idem fit; quia *maiorem charitatem nemo habet*, quām, &c. & vbi plures coluntur Martyres simul, multiplicata charitas per Antiphonas plures indicari debet. quod anticipate monuimus hoc loco, ne idem repeta-
mus infrà.

6 Lectiones pro Euangelistis in pri-
mo Nocturno addidit Pius V. con-
gruentissimas; reliquæ erant in vsu. Sed
Lectiones 3. Nocturni cum Euange-
lio de missione binorum Discipulo-
rum in duobus Festis leguntur, Mar-
ci nimirum & Lucæ; qui quasi bini
scriptores mittuntur ad messem.

7 Tempore Paschali æquum erat,
vt Apostolis, qui virtute magna reddebat testimonium Iesu Christi, daretur Officium lætitia plenum; qui-
bus & promiserat Christus gaudium plenum. Durandas indicat mutationem hanc Officij libro 7. cap. 45. Pius V. diuinit Hymnum in duas par-
tes, ita vt altera in Laudibus cantari queat cum varierate: ordinavit me-
liùs Responsoria, restituto primo, quod reiectum fuerat, citatum à Du-
rando *suprà*. De vna Antiphona cum tribus Psalmis, vide *Sect. 5. cap. 7.*
num. 5. pag. 74.

De Communi Martyrum.

C A P. III.

Martyrum Festa antiquissima sunt, Clemente teste lib. 8.
Apostol. Constit. cap. 39. &
vidisti in *Sectione precedenti*.

2. Alij sunt Martyres Pontifices, alij non Pontifices; & utrisque datut Officium commune, excepta Oratio-
ne, & Lectionibus primi Nocturni.
A Mileto: quæ leguntur tantum in Festo Martyris Pontificis, cui congruit ea narratio de Paulo recedente ab ouibus. Itaque in Festo Mart. non Pontificis leguntur alia, quæ habentur in Communi plurimorum Martyrum,
de Epist. ad Rom.

3. Lectiones 2. & 3. Nocturni plures sunt in Communi positæ, tum ad varie-
tatem, præsertim infra Octauas; tum ad proprietatem, quia in Missali diuer-
sa Festa diuersa habent Euangelia.

4. Dices: Quid agendum, quando in Missa legitur Euangelium, cuius Homili. nulla habetur in Communi? quo-
modo concordabitur eo casu Officium cum Missa? Respōd. Legenda erit Homilia, quæ forte in Proprio Sanctorum habetur; vt Homilia super Euangeliū, *Nihil opertum*, &c. quæ habetur in Festo S. Polycarpi. Quod si non habeatur in Breuiario, veluti super Euangelium, *Nolite arbitrari*, vel, *Qui vos audit, me audit*, & similia; recurre ad Octauarium Romanum, in quo ha-
bentur Homilia de quocumque Euangeliō quod habetur in Missali: si Octauario careas, lege in Officio Homiliam Euangeliij, quam habes in Communi; & in Missa deinde idem Euangeliū leges, iuxta Rubricam quæ in Missali habetur post primam Missam

Z

de

de Communi vnius Martyris Pontificis; in qua conceditur usus Euangeliorum quae in eodem Communi assignata sunt, ita ut liberum sit legere in Missa quodcumque Euangelium, de eodem tamen Communi lumen.

5 Responsorium proprium post nonam Lectionem positum pro Festo quinque sanctorum Martyrum Pontificum, *Domine præuenisti*, non est, ut putant aliqui, ad excellentiam; sed ad vitandum mendacium in eo Responsorio futurum, si in eorum Festis recitaretur, *Hic est verè martyr, qui sanguinem fudit*: cùm ijs perierint quidem, sed non effusso sanguine, ut ex eorumdem historijs pater, Marcelli, Ioannis, Siluerii, Pontiani, & Martini. Consule Lectiones eorum in proprijs Festis. Adde ijs, ob eamdem causam Festa nouem Lectionum S. Felicis in Pincis, & S. Melchias Papæ, ubi celebrantur. Hac eadem de causa voluissent aliqui in predictis Festis mutari Versum in Hymno Vesperarum, *Fundensque pro te sanguinem*; sed Poëtis idem est ac fundens vitam, quæ est in sanguine.

6 Totum Officium de Communi vnius Martyris, quo nunc utimur, habetur in Breu. M. S. & 1550. Durandus indicat eadem Responsoria lib. 7. cap. 45. Pius V. reformauit Lectiones tantum.

7 Commune plurimorum Martyrum idem est, quod in antiquis Breu. M. S. & 1550. Pius V. decreuit primas Lectiones de Scriptura, mutauit alias in aptiores.

8 De fine Hymni, qui dicitur post Inuitatorium (etenim proprius finis est) diximus, numquam eum mutari, Sectione 5. cap. 6. num. 13. pag. 73.

9 Responsorium post nonam Lectionem pro fratribus Martyribus,

Hec est vera fraternitas, non dicitur unquam, nisi verè ijs sint fratres secundum carnem. Quod si cum fratribus carnalibus celebrentur alij non fratres in eodem Feste, non dicitur: quod nota in Feste sanctorum Placidi & sociorum: quamuis enim in ijs duo fratres & soror simul obierint, aliorum non fratrum causa illud omittitur. Neque dicas, in Breuiario non adnotatum fuisse dictum Responsorium in Feste sanctorum Placidi & sociorum; quia uncam Lectionem habent, quasi illud positum fuisset, si duas, ut in Feste sanctorum Geronij & Protasij, Primi & Feliciani: nam in Festis SS. Faustini & Iouitæ, Marci & Marcelliani, quæ uncam Lectionem habent, ante eamdem notatum est idem Responsorium, *Hec est vera fraternitas*, in editione Breuiarij Vaticana 1608. præcedentibus editionibus emendatiore.

Obiecerunt aliqui, quod in Missa sanctorum Nerei, & Achillei, Domitillæ atque Pancratij dicitur post Epistolam, *Hec est vera fraternitas*; & tamen certum est, eos omnes non esse fratres secundum carnem. At non valet illatio à Missali ad Breuiarium: & prætereà Missa illa erat antiquitus de duabus fratribus Nereo & Achilleo; Pancratius habebat Missam propriam; Domitilla addita est à Clemente VIII. qui recognouit corrigenda, non mutauit congruentia, & quæ rationi potiori conlona forent. Potissimum vero fit eo die Festum de Sanctis fratribus, ut ex Euangilio & eiusdem Homilia constat.

Dices adhuc: *Symphorosa mater est*, & cum filijs habet hoc idem Responsorium. At Festum hoc in rigore est tantummodo filiorum, & fratrum, qui die 18. Iulij obierunt; mater autem

tem pridie, ut patet aperte in Lectione
tertia illius Festi.

10 Inter utrumque Commune unius
& plurium Martyrum recte colloca-
tum est aliud Commune Martyrum
tempore Paschali, ut esset Commune
utrisque: ratio vero, cur Martyribus
Officium Paschale tribuatur, a S. Am-
brosio assertur in *Sermoni qui in eo-*
dem Officio legitur: Dignum est, &
congruum, &c.

11 Pius V. nihil mutauit, nisi pri-
mas Lectiones & secundas sancti Am-
brosij, & S. Cypriani; addiditque Ho-
miliam ad aliud Euangelium Pascha-
le, *Ego sum vitus, vos palmites*, pro
varietate Euangeliorum in Missa le-
gendorum, ut Officium deinde con-
cordet cum Missa.

12 Hymnus, *Rex gloriose Marty-
rum*, dicitur etiam in Vesperis, omisso
illo, *Sanctorum meritis inclita gaudia*
(qui alioquin non discordaret a gau-
dijs Paschalibus;) tum, ut cantari pos-
sit cantu Hymnorum Paschalia; tum,
ut possit mutari finis Hymni more
Paschali, quod est peculiare in Offi-
cio Martyrum, non autem Confessio-
rum, in quo dicitur *Iste confessor, metri*
diuersi, ob rationem a S. Ambroso
allatam supradictum. 10.

13 De Antiphona una & tribus
Psalmis in unoquoque Nocturno, di-
ximus *Secl. 5. cap. 7. num. 5. pag. 74.*

14 Quæ desunt in Communi Pascha-
li sumi debent ex Communi extratem-
pus Paschale, ait Rubrica; sed intelli-
ge, quoad Lectiones tantum primi
Nocturni: nam in secundo non bene
conueniunt aliæ, quæ leguntur extra
tempus Paschale; nisi infra Octauam,
ad varietatem, ut dicitur in Octauario
Romano *infra Octau. Martyrum tem-
poris Paschalis post quartam diem.*

De Communi Confessorum.

CAP. III.

1 **C**ommune Confessorum Po-
tificum est idem quod in
Breu. M. S. & 1550. paucis
exceptis: nam Pius V. legi iustit de
Scriptura in 1. Noctur. addiditque
alias ad calcem pro Octaua, vel ad va-
rietatem in Festis; è quibus primæ illæ,
Laudemus viros gloriosos, deseruire
possunt in Officio plurium Confesso-
rum simul, si alicubi occurrant.

2 Pro Summis Pontificibus Con-
fessoribus unica est differentia ab alijs
in Antiphona ad *Magnificat* in secun-
dis Vesperis, qua vnum in Cathe-
dra sancti Petri, in qua sederunt suc-
cessores eiusdem: *Dum esset Summus
Pontifex, &c.*

3 Pro Doctoribus extat Antiphona
propria in utrisque Vesperis ad *Ma-
gnificat*, *O Doctor optime*; quæ habetur
in Breu. M. S. & 1550. Pius V. addi-
dit Lect. 1. Noct. & 2. mutauit Lectio-
nes 3. ut pro Homilia sancti Hiero-
nymi legatur ea quæ est sancti Augustini.
Clemens VIII. adiecit Octauum
Responsorium, *In medio Ecclesia, &c.*

4 Commune Confessorum non
Pontificum est idem ut in antiquis
Breu. mutauit Pius V. Lect. 1. Noct.
ut essent de Scriptura, & secundi
Noct. in magè proprias, ex Io. Chry-
stof. alias adiecit de more, ad varieta-
tem in Festis, vel pro Octaua. Ora-
tio *Adesto* habetur in Sacramentario
Gregoriano.

5 Quando fit Festum plurium Con-
fessorum, sive Pontificum sive non
Pontificum, datur facultas mutandi
verba tum in Oratione, tum in Ser-
monibus, ut sonent numerum plura-

Z 2 lem;